



EUROPA LATINA

COLLOQUI/ COLLOQUI

quod tu in docendo potes

DE ORBE NOVO

Conventiculum Felicianum XIV nuntiatur

**in Hospitali a Carmelo nuncupato
ad Benacum in sinu Felici**

pridie Kalendas Octobres, Kalendis Octobribus, a.d. VI Nonas Octobres

fruendum



Index capitum

Christophori Columbi Epistola de insulis nuper repertis.....	1
P. Corneli Taciti De origine et situ Germanorum.....	3
Rutilii Namatiani De Reditu suo liber I	4
Jo. Genesii Sepulvedae De rebus Hispanorum gestis ad novum orbem Mexicumque	5
P.Vergili Maronis Aeneidos liber tertius	6
Ex Secunda de Americi Vespucii navigatione epistula	8
C. Plinii Secundi Naturalis Historia	10
Historiarum Philippicarum in epitomen redacti libri a M. Iuniano Iustino	11
Bartholomei de las Casas Apologia	12
Joannis Genesii Sepulvedae pro libro de justis belli causis Apologia	13
P. Corneli Taciti Agricola	15
P. Corneli Taciti Historiarum Liber quartus	17
Martini Dobrizhoffer Historia de Abiponibus.....	18
Ammiani Marcellini Rerum gestarum libri.....	21
C. Plinii Secundi Historiae naturalis liber XXII	23
Danielis Rolandri Diarius Surinamicus	24
C. Valerii Catulli Carmina	25
M. Valerii Martialis Epigrammaton Liber I.....	26
Petri Martyris de insulis nuper repertis, et de moribus incolarum earundem	27
P. Ovidi Nasonis Metamorphoseon liber XI	28
Francisci Glass De Georgii Washingtonii Vita.....	30
Titi Livi Ab Vrbe condita liber XXI.....	31

Christophori Columbi Epistola de insulis nuper repertis

Ceterum ubi se cernunt tutos, omni metu repulso sunt admodum simplices ac bone fidei et in omnibus, quæ habent, liberalissimi. Roganti, quod possidet, inficiatur nemo. Quin ipsi nos ad id poscendum invitant. Maximum erga omnes amorem pre se ferunt. Dant queque magna pro parvis, minima licet re, nihilove contenti. Ego attamen prohibui, ne tam minima et nullius precii hisce darentur, ut sunt lancis, parapsidum, vitrique fragmenta, item clavi, ligule; quanquam, si hoc poterant adipisci, videbatur eis pulcerrima mundi possidere iocalia. Accidit enim quendam navitam tantum auri pondus habuisse pro una ligula, quanti sunt tres aurei solidi, et sic alios pro aliis minoris precii, præsertim pro blanquis novis [et quibusdam nummis aureis]. Pro quibus habendis dabant, quicquid petebat venditor, puta unciam cum dimidia et duas auri vel triginta et quadraginta bombicis pondo, quam ipsi iam neverant. Item arcuum amphore, hidrie dolique fragmenta bombice et auro tanquam bestie comparabant. Quod quia iniquum sane erat, vetui dedique eis multa pulcra et grata, que mecum tuleram, nullo interveniente premio, ut eos mihi facilius conciliarem fierentque chisticole, et ut sint proni in amorem erga Regem, Reginam principesque nostros et universas gentes Hispaniæ ac studeant perquirere et coacervare eaque nobis tradere, quibus ipsi affluunt et nos magnopere indigemus. Nullam hii norunt ydolatriam. Immo firmissime credunt omnem vim, omnem potentiam, omnia denique bona esse in cœlo, meque inde cum his navibus et nautis descendisse: atque hoc animo ubi<que> fui susceptus, postquam metum repulerant. Nec sunt segnes aut rudes, quin summi ac perspicacis ingenii et homines, qui transfretant mare illud. Non sine admiratione uniuscuiusque rei rationem reddunt, sed nunquam viderunt gentes vestitas neque naves huiusmodi. Ego statim atque ad mare illud perveni, e prima insula Indos violenter arripui, qui ediscerent a nobis: et nos pariter docerent ea, quorum ipsi in hisce partibus cognitionem habebant. Et ex voto suscessit. Nam brevi nos ipsos et hi nos tum gestu ac signis, tum verbis intellexerunt magnoque nobis fuere emolumento. Veniunt modo mecum tamen; qui semper putant me desiluisse e cœlo, quamvis diu nobiscum versati fuerint hodieque versentur. Et hi erant primi, qui id, quodcunque appellabamus, nunciabant, alii deinceps aliis elata voce dicentes. 'Venite, venite et videbitis gentes ethereas! Quamobrem tam femine quam viri, tam impuberes quam adulti, tam iuvenes quam senes deposita formidine paulo ante concepta nos certatim visebant [magna iter stipante caterva] aliis cibum, aliis potum afferentibus maximo cum amore ac benivolentia incredibili. [...] Itaque monstra aliqua non vidi neque eorum alicubi habui cognitionem excepta quadam insula Charis nuncupata, quæ secunda

ex Hispana in Indiam transfretantibus existit. Quam gens quedam a finitimis habita ferocior incolit. Hi carne humana vescuntur. Habent predicti biremium genera plurima, quibus in omnes Indicas insulas traiciunt, depredant, surripiuntque quecunque possunt. Nihil ab aliis differunt, nisi quod gerunt more femineo longos crines. Utuntur arcubus et spiculis arundineis, fixis (ut diximus) in grossiori parte attenuatis hastilibus; ideoque habentur feroces. Quare ceteri Indi inexhausto metu plectuntur. Sed hos ego nihili facio plus quam alios. Hi sunt, qui coeunt cum quibusdam feminis, quæ sole insulam Matheunin, primam ex Hispania in Indiam traicientibus habitant. He autem femine nullum sui sexus opus exercent. Utuntur enim arcubus et spiculis, sicuti de earum coniugibus dixi. Muniunt sese laminis eneis, quarum maxima apud eas copia existit. Aliam mihi insulam affirmant supradicta Hispana maiorem. Eius incole carent pilis, auroque inter alias potissimum exuberat. Huius insule et aliarum [quas vidi] homines mecum porto, qui horum, quæ dixi, testimonium perhibent.

P. Corneli Taciti De origine et situ Germanorum

[45] Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri formasque equorum et radios capitis adspici persuasio adicit. Illuc usque (et fama vera) tantum natura. Ergo iam dextro Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omniumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu; rude legitur, informe perfertur pretiumque mirantes accipiunt. Sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucris animalia plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam sucini admoto igni temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes uno differunt, quod femina dominatur; in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

[46] Hic Suebiae finis. Peucinatorum Venethorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito, quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor procerum; conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venethi multum ex moribus traxerunt; nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur latrocinii pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum usu ac pernecitate gaudent: quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus: solae in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare: securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum voltusque, corpora atque artus ferarum gerere: quod ego ut incompertum in medio relinquam.

Rutilii Namatiani De Reditu suo liber I

Processu pelagi iam se Capraria tollit;
squalet lucifugis insula plena viris. 440
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
quod soli nullo vivere teste volunt.
Munera fortunae metuunt, dum damna verentur.
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quaenam perversi rabies tam stulta cerebri, 445
dum mala formides, nec bona posse pati?
Sive suas repetunt factorum ergastula poenas,
tristia seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiae bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus; 450
nam iuveni offenso saevi post tela doloris
dicitur humanum displicuisse genus



Jo. Genesii Sepulvedae De rebus Hispanorum gestis ad novum orbem Mexicumque

Liber Primus

VII. Sunt autem Caribes feri homines anthropophagi, hoc est carnibus humanis vescentes, quarumdam insularum incolae, qui venandi homines gratia, mitiorum gentium insulis, aut etiam Continenti adnavigare monoxylis naviculis consueverunt, quod unum navigii genus notum est in illis regionibus: Canoae patrio vocabulo nominantur. Has ex mirae magnitudinis arborum stipitibus singulis acuto et durissimo lapide, qui pro ferro cunctis illis gentibus est, excavant, proceriores scilicet quam pro latitudinis ratione, ea interdum magnitudine, ut vectorum sint plus octoginta singulae capaces. Utebantur iidem anthropophagi arcubus et sagittis, toxico praesenti et cui occurri nulla ratione possit, venenatis. Horum igitur timore diffugientes Barbaros insectati nostri, unam feminam interceptam ad naves abduxerunt, ac indulgenter habitam, et vino bene potam vestitamque dimisere. Haec suis de comitate et humanitate nostrorum cum nuntiasset, Barbari cupide agminatimque ad naves confluerunt, ipseque Goacanagarus Regulus primoribus stipatus affuit, quos Colonus vocibus et nutibus liberaliter affatus est, et vitreis torquibus vasculisque, praeterea tintinnabulis, acubus et aciculis similibusque nugis muneratos dimisit.

P. Vergili Maronis Aeneidos liber tertius

Postera iamque dies primo surgebat Eoo
umentemque Aurora polo dimoverat umbram,
cum subito e silvis macie confecta suprema 590
ignoti nova forma viri miserandaque cultu
procedit supplexque manus ad litora tendit.
respicimus. dira inluvies immissaque barba,
consertum tegimen spinis: at cetera Graius,
et quondam patriis ad Troiam missus in armis. 595
isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit
arma procul, paulum aspectu conterritus haesit
continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
cum fletu precibusque tulit: 'per sidera testor,
per superos atque hoc caeli spirabile lumen, 600
tollite me, Teucri. quascumque abducite terras:
hoc sat erit. scio me Danais e classibus unum
et bello Iliacos fateor petiisse penatis.
pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
spargite me in fluctus vastoque immergite ponto; 605
si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.'
dixerat et genua amplexus genibusque volutans
haerebat. qui sit fari, quo sanguine cretus,
hortamur, quae deinde agitet fortuna fateri.
ipse pater dextram Anchises haud multa moratus 610
dat iuveni atque animum praesenti pignore firmat.
ille haec deposita tandem formidine fatur:
'sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
nomine Achaemenides, Troiam genitore Adamasto
paupere (mansissetque utinam fortuna!) profectus. 615
hic me, dum trepidi crudelia limina relinquunt,
immemores socii vasto Cyclopis in antro
deseruere. domus sanie dapibusque cruentis,
intus opaca, ingens. ipse arduus, altaque pulsat
sidera (di talem terris avertite pestem!) 620
nec visu facilis nec dictu adfabilis ulli;
visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
vidi egomet duo de numero cum corpora nostro
presa manu magna medio resupinus in antro
frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent 625
limina; vidi atro cum membra fluentia tabo

manderet et tepidi tremarent sub dentibus artus —
 haud impune quidem, nec talia passus Ulixes
 oblitusue sui est Ithacus discrimine tanto.
 nam simul expletus dapibus vinoque sepultus 630
 cervicem inflexam posuit, iacuitque per antrum
 immensus saniem eructans et frusta cruento
 per somnum commixta mero, nos magna precati
 numina sortitique vices una undique circum
 fundimur, et telo lumen terebramus acuto 635
 ingens quod torva solum sub fronte latebat,
 Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
 et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
 sed fugite, o miseri, fugite atque ab litore funem
 rumpite. 640
 nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
 lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
 centum alii curva haec habitant ad litora vulgo
 infandi Cyclopes et altis montibus errant.
 tertia iam lunae se cornua lumine complent 645
 cum vitam in silvis inter deserta ferarum
 lustra domosque traho vastosque ab rupe Cyclopas
 prospicio sonitumque pedum vocemque tremesco.
 victum infelicem, bacas lapidosaque corna,
 dant rami, et volsis pascunt radicibus herbae. 650
 omnia conlustrans hanc primum ad litora classem
 conspexi venientem. huic me, quaecumque fuisset,
 addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
 vos animam hanc potius quocumque absumite leto.



Ex Secunda de Americi Vesputii navigatione epistula

Quia vero magna lignorum et aquarum afflictabantur penuria, unanimi consensu proxima die in terram reverti placuit, ut de rebus hisce necessariis sibi prospicerent. In eo vero dum essent, homines aliquot in cacumine montis animadvertabant, qui tamen timore praepediti ad ipsos descendere renuebant. Nudi erant omnes, effigie et colore reliquis, quorum descriptionem in aliis Vesputii navigationibus dedimus, similes. Satagebant quidem Lusitani, ut familiarius secum conversarentur, nihilque non movebant: nulla tamen ratione ad humanitatem aut colloquium aliquod ipsos pertrahere poterant. Ut vero eos allicerent magis, sub noctem ad naves iterum remeabant, relictis in eorum conspectu nolis aliquot, speculis, rebusque id genus ludicris aliis. Vix ad naves suas appropinquantibus Lusitanis, barbari ex monte ad unum omnes summa contentione descendebant: magnaue cum voluptate et admiratione reculas a Lusitanis ipsis expositas perlustrabant. Hactenus vero praeter aquam nihil ab ipsis obtinere potuerant Lusitani.

Mane facto, ex navibus eosdem numero maiori congregatos, passimque per terram ignes fumosque excitantes videbant: itaque hisce signis ad colloquium sese invitari rati, in terram progrediebantur, ubi tum complures confluisse animadvertabant, qui e longinquo constituti, signis quibusdam editis, ut in interiorem insulae parte sese sequerentur, monere Lusitanos videbantur. Ad hanc rem duo ex Lusitanis operam suam offerebant, periculum facturi, an cum gente ita familiaritatem inire, vel merces aliquas & species aromaticas obtinere possent. Impetrato igitur Praetoris navium consensu, assumptis minutis quibusdam, quas cum incolis permutarent, mercuris, ea conditione in terram descenderunt, ut reditum suum quinque ad summum dies socii praestolarentur: qui eos aliquo usque comitati, ad naves postea redierunt. Interea licet complures quotidie ad plagam istam convenirent, nulla tamen neque colloquia, neque commercia cum Lusitanis instituere cupiebant. Ut vero septimus dies, necdum revertentibus duobus illis, quos regionem exploratum emiserant, denuo in terram progressi, gentem illam mulieres suas omnes secum adduxisse reppererunt. Cum propius ad illos pervenissent, barbari aliquot ex iisdem mulieribus suis colloquii habendi gratia ablegarunt: Lusitani autem cum illas timidiores, minusque sibi fidere animadverterent, unicum itidem satis validum iuvenem ad ipsas mittere, seseque, ut absque omni metu liberius possent mulieres agere, navibus suis iterum committere decreverunt. Iuvenis iste, ad mulieres progressus, inter illas sese immiscuit; quem illae circumstantes, palpare undique, neque admirari satis posse videbantur. Interea vero alia quaedam mulier, vallo instructa, e montibus descendens propiusque a tergo ad iuvenem accedens, tam valido ictu vallum, quod manu gestabat, capiti eius impegit, ut is subito mortuus in terram concideret. Quem confestim reliquae mulieres minibus

pedibusque correptum in montem ad viros suos protraxerunt. Virique magno impetu ex montibus ruentes, sagittis suis impetere Lusitanos non cessabant, qui, stupore perculsi, omnem armorum sumendorum animum abiecerant: neque tam celeriter scaphis suis, quae arenam navigando radebant, ad naves maiores aufugere poterant, quin telis obruerentur, neque parum ipsis damni a Barbaris inferretur. Tum vero, qui in maioribus erant navibus fulmina, licet neminem ferientia, in ipsos disloserunt. Quo audito fragore ac tonitru, omnes cursim ad mulieres in montem confugerunt, quae intuentibus Lusitanis iuvenem istum frustillatim disiectum, cum ludibrio ostentantes, mox ad ingentem, quem succenderant, ignem, torrebant, atque postea manducabant. Viri quoque certis quibusdam indiciis innuebant, duos illos alios Christianos eodem modo a sese mactatos atque devoratos esse: quod ex tam horrendo spectaculo facile ipsis erat colligere. Hoc vero dolebant, atque indignabantur magis, quod suis ipsis oculis tam immanem crudelitatem intueri cogerentur. Itaque plures quam quadraginta ex sociis deliberato consilio in animum induxerant impetu in Barbaros facto, tam crudele facinus, et plusquam bestialem ferociam vindicare. Verum cum Praetor navis nequaquam hoc ipsis vellet permittere: animo malevolo, grandique cum opprobrio, re infecta ex illo loco discedere coacti sunt.

Postquam autem terram illam reliquissent, et favente Lybonoto, seu Austrozephyro navigare ocepissent ambitus plurimosque gyros subinde sectantes: homines quidem interdum habebant obvios, sed qui neque ad colloquia, neque ad commercia adduci ullo modo poterant. Tandem meridiem versus, ad terram aliquam 150 miliaribus ab isto loco, ubi tres ex sociis trucidati atque devorati fuerant, dissitam appulerunt, quam *S. Vincentii Campum* appellarunt, qui quidem campus octo gradibus extra aequinoctialem lineam Austrum versus situs est. Cum igitur in regione ista vagarentur, die quadam ingentem hominum multitudinem, navium suarum molem et structuram vehementer admirantium, quodam in loco conspexerunt. Itaque escensione in terram facta, cum populum istum humaniorem et mitiorem deprehendissent, familiarius cum ipsis agere, omnisque generis aromatum commercia per quinque dies integros contrahere coeperunt. Convenit etiam inter ipsos, ut duo ex illis, qui linguam eorum Lusitanos edocerent, una in Portugalliam proficiscerentur: quemadmodum etiam tres illorum ultro Lusitanos comitati sunt.

C. Plinii Secundi Naturalis Historia

Liber VI

20. [53] A Caspio mari Scythicoque oceano in E^oum cursus inflectitur, ad orientem conversa litorum fronte. inhabitabilis eius prima pars a Scythico promontorio ob nives; proxima inculta saevitia gentium. Anthropophagi Scythae insident humanis corporibus vescentes; ideo iuxta vastae solitudines ferarumque multitudo, haud dissimilem hominum inmanitatem obsidens. iterum deinde Scythae iterumque deserta cum beluis usque ad iugum incubans mari quod vocant Tabim. nec ante dimidiam ferme longitudinem eius orae, quae spectat aestivum orientem, inhabitatur illa regio. [54] primi sunt hominum qui noscantur Seres, lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem, unde geminus feminis nostris labos redordiendi fila rursusque texendi: tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur ut in publico matrona traluceat.

Liber VII

2. [9] Esse Scytharum genera et quidem plura, quae corporibus humanis vescerentur, indicavimus. id ipsum incredibile fortasse, ni cogitemus in medio orbe terrarum [ac Sicilia et Italia] fuisse gentes huius monstri, Cyclopas et Laestrygonas, et nuperrime trans Alpibus hominem immolari gentium earum more solitum, quod paulum a mandendo abest. [10] sed iuxta eos, qui sunt ad septentrionem versi, haut procul ab ipso aquilonis exortu specuque eius dicto, quem locum Geselithon appellant, produntur Arimaspi, quos diximus, uno oculo in fronte media insignes. quibus adsidue bellum esse circa metalla cum grypis, ferarum volucris genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate et feris custodientibus et Arimaspis rapiantibus, multi, sed maxime inlustres Herodotus et Aristaeas Proconnesius scribunt. [11] super alios autem Anthropophagos Scythas in quadam convalle magna Imavi montis regio est quae vocatur Abarimon, in qua silvestres vivunt homines aversis post crura plantis, eximiae velocitatis, passim cum feris vagantes. hos in alio non spirare caelo ideoque ad finitimos reges non pertrahi neque ad Alexandrum Magnum pertractos Baeton itinerum eius mensor prodidit. [12] priores Anthropophagos, quos ad septentrionem esse diximus, decem dierum itinere supra Borysthenen amnem ossibus humanorum capitum bibere cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti Isigonus ^Nicaeensis. idem in Albania gigni quosdam glauca oculorum acie, a pueritia statim canos, qui noctu plus quam interdiu cernant. idem itinere dierum XIII supra Borysthenen Sauromatas tertio die cibum capere semper.

Historiarum Philippicarum in epitomen redacti libri a M. Iuniano Iustino

Liber II, 4

[IV] Sed apud Scythas medio tempore duo regii iuvenes, Ilynos et Scolopitus, per factionem optimatum domo pulsi ingentem iuventutem secum traxere et in Cappadociae ora iuxta amnem Thermodonta consederunt subiectosque Themiscyrios campos occupavere. Ibi per multos annos spoliare finitimos adsueti conspiratione populorum per insidias trucidantur. Horum uxores cum viderent exsilio additam orbitatem, arma sumunt finesque suos submoventes primo, mox etiam inferentes bellum defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere, servitutem, non matrimonium appellantes. Singulare omnium saeculorum exemplum, ausae rem publicam augere sine viris; iam etiam cum contemptu virorum tuentur. Et ne feliciores aliae aliis viderentur, viros, qui domi remanserant, interficiunt. Ultionem quoque caesorum coniugum excidio finitimorum consequuntur. Tum pace armis quaesita, ne genus interiret, concubitus finitimorum ineunt. Si qui mares nescerentur, interficiebant. Virgines in eundem ipsis morem, non otio neque lanificio, sed armis, equis, venationibus exercebant, inustis infantum dexterioribus mammis, ne sagittarum iactus impediatur; unde dictae Amazones.



Ex Controversia Vallisoletana 1550 - 1551

Bartholomei de las Casas Apologia

[...] Caesar Hispaniarum rex sempiterna hominum memoria dignus, edoctus Hispanos caedibus, violentia tyranni longe lateque grassari per Indias, servitute premere maximisque incommodis afficere Indos Oceani mariacolas, qui Romani pontificis decreto ad imperium supremum Castilliae et legionis pertinent, solemne quoddam concilium Pintiae sive Vallisoleti indixit, advocato ex omni senatu lectissimo ac doctissimo quoque, his iniunxit ut cognoscerent an atrocia illa, quae ad se delata fuissent, vera essent, utque oportune remedium excogitarent, quo tantis malis obviam iretur, ita ut Indi pristinae suae libertati restituerentur, simulque novus ille orbis salutaribus legibus ac prudentibus institutis compositus in posterum gubernaretur. De hac re per plures dies magnis est disputationibus agitatum, ac denique leges quaedam sancitae sunt, quibus Hispanorum bellicae expeditiones adversus Indos, quas conquistas vulgo appellaverant, prohibitae sunt; simulque cautum est ut Indi omnes servitute pressi ab eis quibus facta divisione, id est *repartimiento* sive *comenda* (inventione quidem satanica numquam antehac audita), adiudicati perperam fuerant, restituerentur in libertatem, atque in regum Hispaniarum universalem dictionem Indi universi reducerentur, regibus et dominis naturalibus in sua potestate et iuris dictione remanentibus.[...]

Non potui me continere, memor me Christianum monachum, episcopum, Hispanum regibusque Hispaniarum subditum esse, quin pro defensione veritatis et decore domus Dei augmentoque adorandi evangelii Domini nostri Iesus Christi calami mucronem stringerem, ut pro modulo gratiae mihi donatae christiani nominis opprobrium abstergerem impedimentaue et offendicula dilatandae evangelicae fidei submoverem propagaremque veritatem, quam in baptismo vovi, in religione didici ac denuo, licet indignus consecratus, episcopus professus sum. His enim omnibus nominibus teneor me tamquam murum adversus impios opponere ad defensionem innocentissimae gentis breviter inserendae domui Israel, quam lupi rapaces indesinenter persequuntur. Teneor etiam ad praeccludendum viam qua tot mortalium myriades in aeternum exitium pertrahuntur, et ad defendendum oves meas, quas edita solemni voce usque ad mortem tueri promisi adversus omnes lupos, vel ecclesiasticos vel profanos, irrumpentes in caulas meas.

Joannis Genesii Sepulvedae pro libro de justis belli causis Apologia

Quia sunt, aut erant certe , antequam in Christianorum ditionem venirent , omnes moribus, plerique etiam natura barbari, sine litteris, sine prudentia, et multis barbaricis vitiis contaminati: ut testatur historia generalis de ipsis scripta, et auctoritate Indici consilii probata. Barbari enim, simpliciter nominantur, qui ratione deficiunt, vel propter regionem caeli, ex qua hebetes magna ex parte inveniuntur, vel propter aliquam malam consuetudinem, qua homines fiunt quasi brutales: hujusmodi autem gentes jure naturae debent humanioribus, prudentioribus et praestantioribus parere, ut melioribus moribus et institutis gubernentur sed si admoniti imperium recusent, possunt armis cogi, et id bellum erit justum jure naturae, ut auctor est Arist. primo Politicorum c. 3. et 5. et Thomas ibidem: quo factum est, ut imperium Romanorum in alias gentes fuerit justum, et voluntate Dei quaesitum, ut testatur Augustinus lib. 5. de civitate Dei c. 12. et deinde: Romanis , inquit , concessit Deus maximum et illustrissimum imperium ad domandum gravia mala multarum gentium, qui Romani propter gloriam multa vitia comprimebant, id est, virtutes colebant . Ergo eadem potioreque ratione Hispani possunt Indos in suam ditionem redigere.

Isti barbari implicati erant gravissimis peccatis contra legem naturae, cujus ignoratio nemini suffragatur, propter quae Deus delevit gentes peccatrices, quae terram promissionis incolebant, cuncti enim idolorum cultores erant, et plerique omnes immolabant victimas humanas. Nam quod Deus non occulto judicio, sed propter hujusmodi idololatriam deleverit eas gentes, testator Scriptura divina non obscure, sed verbis apertissimis. Sic enim scriptum est: “Ne dicas, cum deleverit eos Dominus in conspectu tuo: propter justitiam meam introduxit me Deus, ut possiderem terram hanc , cum propter impietates suas istae deletae sint nationes “.

Omnes abominationes, quas aversatur Dominus, diis suis offerentes filios et filias, et comburentes igni. Et explicans Scriptura impietates, propter quas deletae sunt gentes, sic ait: “Quando ingressus fueris terram , quam dominus Deus tuus dabit tibi , cave ne imitari velis abominationes illarum gentium , nec inveniatur in te qui lustret filium suum , aut filiam ducens per ignem , aut qui hariolos sciscitetur , et observet somnia , atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, et quaerat a mortuis veritatem: Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Quibus testimoniis aperte declaratur has gentes propter idolorum cultum fuisse deletas: omnia enim peccata, quae hic memorantur, Theologorum consensu ad idolorum cultum referuntur, aut impiam superstitionem.[...]

Sed ea demum gens legem naturae non servare intelligenda est, apud quam peccatum aliquod mortale in rebus turpibus non habetur, sed publice probatur; ut apud hos barbaros homicidium innocentium, qui multis in regionibus immolabantur, et ubique apud eosdem idololatria, quod est peccatorum gravissimum. Quibus rationibus plane intelligitur non peculiari Dei voluntate et occulto judicio, sed communi lege naturae propter memorata flagitia, quae pertinent omnia ad idolorum cultum, illas gentes fuisse deletas. Itaque his divinae historiae et sacrorum doctorum testimoniis colligitur hos barbaros propter suas

impietates , si jure summo agendum esset , potuisse et vita et terris ac bonis omnibus multari ad justam punitionem: quanto igitur magis jure possunt Christianorum imperio subjici, non ut talia patiantur (nam possessionibus eos aut libertate privare vetitum est lege Regum Hispanorum) sed ut Christianorum imperio subjecti a talibus flagitiis, quibus maxime Deus offenditur , abstinere cogantur, et meliorum rerum consuetudine et piorum commercio ad veri Dei cultum et religionem accipiendam praeparentur.

P. Corneli Taciti Agricola

[30] "Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore: nam et universi co[i]stis et servitutis expertes, et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum inminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetrabilibus siti nec ulla servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est; sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus ac saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugas. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, mare scrutantur: si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. Auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.

[31] "Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per dilectus alibi servituri auferuntur; coniuges sororesque etiam si hostilem libidinem effugerunt, nomine amicorum atque hospitem polluuntur. Bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera et contumelias conteruntur. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam cotidie emit, cotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur; neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et in libertatem, non in paenitentiam [bel]laturi; primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.

[32] "An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent: nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostis quam servos, fide et adfectu teneri putatis. Metus ac terror sunt infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria aut alia est. Paucos numero, trepidos ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantis, clausos quodam modo ac vinctos di vobis? tradiderunt. Ne terreat vanus

aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inuenimus nostras manus: adgnoscent Britanni suam causam, recordabuntur Galli priorem libertatem, tam deserent illos ceteri Germani quam nuper Usipi reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentis et iniuste imperantis aegra municipia et discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate.'

P. Corneli Taciti Historiarum Liber quartus

[73] Mox Treviros ac Lingonas ad contionem vocatos ita adloquitur: 'neque ego umquam facundiam exercui, et populi Romani virtutem armis adfirmavi: sed quoniam apud vos verba plurimum valent bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur, statui pauca disserere quae profligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixisse. terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad exitium fatigabant, et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. quot proeliis adversus Cimbro Teutonisque, quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. nec ideo Rhenum insedimus ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. an vos cariores Civili Batavisque et transrhenanis gentibus creditis quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt? eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent: ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit ut non eadem ista vocabula usurparet.'

[74] 'Regna bellaque per Gallias semper fuere donec in nostrum ius concederetis. nos, quamquam totiens lacesiti, iure victoriae id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur; nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt: cetera in communi sita sunt. ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has aliasque provincias regitis; nihil separatum clausumve. et laudatorum principum usus ex aequo quamvis procul agentibus: saevi proximis ingruunt. quo modo sterilitatem aut nimios imbris et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. vitia erunt, donec homines, sed neque haec continua et meliorum interventu pensantur: nisi forte Tutore et Classico regnantibus moderatius imperium speratis, aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus quibus Germani Britannique arceantur. nam pulsus, quod di prohibeant, Romanis quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convellentium non potest: sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum causae. proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate colite: moneant vos utriusque fortunae documenta ne contumaciam cum pernicie quam obsequium cum securitate malitis.' tali oratione graviora metuentis composuit erexitque.



Martini Dobrizhoffer Historia de Abiponibus

II. 2 De nativo Americanorum colore

Pictores Europaei hominem fuscı coloris, distortis simisque naribus, minacibus oculis, vasto abdomine, a capite ad calcem nudum ac hirsutum, Fauno quam homini omnia similiorem, verbo monstrum hominis, pharetra, arcu, hasta vel clava armati, plumis versicoloribus coronati, dum penicillo exprimunt, videntur sibi Indi Americani germanam imaginem egregie feliciterque perfecisse. Et vero antequam Americam viderem, tales mihi Americanos ipse meo in cerebro depinxi; sed oculi meum me dedocuere errorem. Pictores quibus fidem adhibuit, Americanae gentis calumniatores palam dixi ac poetarum more fabulantes: Hi res sibi obiectas verbis pingere, illi penicillo fingere impune solent. Plurimarum nationum Indis innumeris a me comunis spectatis illa formae vitia, quae passim Americanis affinguntur, nusquam deprehendi. Si verbis diffidis, oculis, quaeso, crede meis. Americanorum nemo Aethiopum more niger est, nemo candidissimi, ut Germanorum, Anglorum, Gallorum plurimi, est coloris. Multi tamen multis Hispanis, Lusitanis, Italis candidiores. Id mihi exploratissimum. Vultu sunt Americani albicante, quae tamen albitudo apud nationes aliquas ad triticiū, apud alias ad obscuriorem proprius accedit colorem. Quod discrimen iam caeli, sub quo degunt, regione, iam a vitae, quam profitentur, rationibus, iam a cibariis, quibus aluntur, diversitate nasci experimur. Si enim, Ovidio teste, *'fuscantur corpora campo'*, Indos, qui solis aestibus patente in campo torrentur quotidie, fuscı coloris plus habere oportet, quam alios, qui silvis nativis immersi sub umbra per omnem aetatem latent aeterna, ut nec solem videre umquam possint, neque a sole videri. Silvicolas eiusmodi vidi quam plurimos vultu tam candido, tam venusto, ut haberi pro Europaeis possent, Europaea si veste ornarentur. Feminae prae maribus semper albiores, quia et rarius extra tectum praeunt, et si quando iter equo faciant, innato huic sexui pulchritudinis studio formae magis invigilant suae, quae ne solis ardore labefactetur, umbellam e struthionum plumis longioribus contextam vultui praetendunt suo.

II.4 De avitis communibusque formae corruptelis

Pulchritudinis cura barbarorum etiam mentibus innata. Ast hunc in finem mediis utuntur, quibus pulchritudo omnis profligatur. Abipones profecto ornare se dum volunt, se turpant

foedantque maximopere. Puellas puellosque elegantes passim inter illos videas, apta figura membrorum, coloris sermonisque ea suavitate praeditos, quam multi invideant Europaei. Verum haec illorum venustas fluxa est, ac ut in floribus, exigui aevi, dum enim adolescent, marcescunt. Nativa equidem illorum elegantia stigmatibus aliisque, quos referre aggredior, trecentis modis aboletur. Europaeorum quam multi pulchri esse desinunt, dum exterorum avidi imitatores peregrinos semperque novos comendi corporis modos venantur. Abipones formam depravant suam visuque terribiles esse incipiunt, quia antiqui moris tenacissimi et avitis maiorum suorum sanctionibus ad amentiam usque devoti. Illorum enim exemplo vultum notis variis insignant suum, quarum aliae utrique sexui communes, feminis propriae aliae. Spina acuta carni insculpuntur inspersosque vulneri recenti cinere nigrescunt, ac fiunt perennes. Crucis figuram fronti impressam, duas lineolas ad oculi utriusque angulum, aures versus protensas, quattuor praeterea lineas transversas, ac craticulae instar cancellatas supra nasi radicem inter supercilia pro insignibus velut gentilitiis vultu circumferunt omnes, et per illa a nationibus ceteris internoscuntur. Hos figurarum ductus spinis exarant vetulae non soli cuti, sed vivae carni impactis, quos cinis, ut dixeram, vulneribus cruore manantibus inspersus nigros reddit, nullo, aut modo aut tempore umquam delendos. Hae quid figurae denotent, quid portendant, nescio, nesciuntque ipsi, qui his signantur, Abipones. A maioribus se suis hunc accepisse ritum, id solum norunt, et illis satis est.

[...] Stigmatibus, quae utrique sexui communia apud Abipones, haud contentae feminae et vultum et pectus et brachia atris lineamentorum diversissimorum imaginibus compuncta gerunt adeo, ut tapetis Turcici similitudinem referre videantur. Quo magis patricia fuerit quaeque inter suos ac spectabilior, eo plus figuris abundat. At vero multo sanguine emitur barbarus iste ornatus, gemitibus constat multis. Audi tragoediam, et, si flere non lubeat puellarum cruciatum, ride nationis insanos ritus. Adolescentula ut primum naturae indicio nubilis declaratur, recepto iam more signari iubetur. In vetulae humi sedentis gremio caput reclinat suum. Ut pingatur, pungitur. Spinae pro penicillo, cinis cruori mixtus pro colore est. Dilaniatur, ut gentilium suorum more ornetur. Aculeis spinarum in carnem alte immersis artifex, sed crudelis vetula, alios aliis, figurarum linearumque ductus describit, tota mox ut facies sanguine diffluet. Quod si doloris impatiens vel ingemiscat misera puella, vel tergiversantis instar caput subtrahat, probris, satyris, vituperiis pessime onerabitur. *'Apage istam ignaviam'* furens exclamabit anus. *'Nae tu nostri generis labes es, ac monstrum, cui spinae titillatio tantilla intolerabilis! An nescis eorum te sanguine progeneratam, qui vulnera in votis habent, atque adeo in lucris numerant? Tui te pudeat imbellis muliercula! Gossypio mollior videris. Caelebs moriere, nil dubita. Tam impudenter meticulosam, ecquisnam demum nostrorum heroum suo dignam coniugio existimabit? Quod si quieta mihi morem gesseris, ipsa te pulchritudine reddam pulchriorem.'* His vociferationibus perterrita iuvenula, ni sociarum fabula fieri, ni explodi palam omnium ore malit, nec hiscere audet porro, doloris acutissimi sensum silentio premit, fronte serena, compressis metu convitiis labiis tolerat aculeorum laniatum, qui quidem non uno absolvitur die. Nam hodie spinis compuncta faciei parte una domum remittitur, ad partem faciei alteram, ad pectus, ad brachia compungenda cras, perendie ac saepius revocanda. Interea dum finis imponatur laborioso operi, per dies non paucos paterno sub tentorio clausa circumvallatur coriis bubulis, aura frigidior ne obsit. Carne, piscibus, aliis

nescio quibus dapibus religiose interdicta vescitur pomulis quibusdam, quae *Kakiè, Roayamì, Nanaprahete* dicta dumetis innascuntur. Haec licet aliis non raro febris tertianae origo ad sanguinem tamen refrigerandum conducunt.

Hac tum plurium dierum inedia, tum cruoris quotidiana effusione exangues pallescunt adolescentulae. Mentum non punctulis, ut aliae partes, sed lineis rectis uno spinae ductu exaratur, ac finditur. Quae quidem lineae eiusmodi sunt, characteres musici illis inscribi ut possent. Spinae quaecumque venenatum quid habere videntur, hinc dira earum impressione oculi, genae, labia horrendum in modum intumescunt, illisque sauciae cuti cineribus nigrorem tristem imbibunt, ut Stygiarum furiarum quampiam videre tibi videaris, dum puellam ex crudeli illa vetulae officina prodeuntem cernis, adeo iam sui dissimilem, ut vel invitus exclames: '*O quantum Niobe Niobe distabat ab illa*'. Illius aspectu ad miserationem ipsi saepe moventur barbari parentes, quin tamen de abolendo immani hoc ritu cogitent umquam; opinantur equidem per hanc spinarum laniationem filias suas ornari simul, simul ad ferendos subinde partus dolores erudiri praepararique.

Ammiani Marcellini Rerum gestarum libri

Liber XV

[XII] 1 Celsioris staturae et candidi paene Galli sunt omnes et rutili luminumque torvitate terribiles, avidi iurgiorum et sublatius insolentes. Nec enim eorum quemquam adhibita uxore rixantem, multo fortiore et glauca, peregrinorum ferre poterit globus, tum maxime cum illa inflata cervice suffrendens ponderansque niveas ulnas et vastas admixtis calcibus emittere coeperit pugnos ut catapultas tortilibus nervis excussas. 2 Metuendae voces conplurium et minaces placatorum iuxta et irascentium, tersi tamen pari diligentia cuncti et mundi, nec in tractibus illis maximeque apud Aquitanos poterit aliquis videri vel femina licet perquam pauper ut alibi frustis squalere pannorum. 3 Ad militandum omnis aetas aptissima et pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur et adultus gelu duratis artubus et labore adsiduo multa contempturus et formidanda. Nec eorum aliquando quisquam ut in Italia munus Martium pertimescens pollicem sibi praecidit, quos localiter murcos appellant. 4 Vini avidum genus, adfectans ad vini similitudinem multiplices potus et inter eos humiles quidam obtunsis ebrietate continua sensibus, quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definivit, raptantur discursibus vagis, ut verum illud videatur quod ait defendens Fonteium Tullius Gallos post haec dilutius esse poturos quod illi venenum esse arbitrabantur.

Liber XXIII

[VI] 75 [...] Ut generaliter corpora¹ describamus et mores graciles paene sunt omnes, subnigri vel livido colore pallentes, caprinis oculis torvi et superciliis in semiorbium speciem curvatis iunctisque, non indecoribus barbibus capillisque promissis hirsuti, omnes tamen promiscue vel inter epulas festosque dies gladiis cincti cernuntur. quem Graecorum veterum morem abiecissee primos Athenienses Thucydides est auctor amplissimus. 76. effusius plerique soluti in venerem aegreque contenti multitudine pelicum, puerilium stuprorum expertes, pro opibus quisque adsciscens matrimonia plura vel pauca. unde apud eos per libidines varias caritas dispersa torpescit. munditias conviviorum et luxum maximeque potandi aviditatem vitantes ut luem. 77. nec apud eos extra regales mensas hora est praestituta prandendi, sed venter unicuique velut solarium est, eoque monente quod inciderit editur, nec quisquam post satietatem superfluos sibi ingerit cibos. 78. inmane quantum restricti et cauti, ut inter hostiles hortos gradientes non numquam et vineta, nec cupiant aliquid nec contingant venenorum et secretarum artium metu. 79. super his nec stando mingens nec ad requisita naturae secedens facile visitur Persa: ita observantius haec aliaque pudenda declinant. 80. adeo autem dissoluti sunt et artuum laxitate vagoque incessu se iactitantes ut effeminatos existimes, cum sint acerrimi bellatores, sed magis artifices quam


¹ Scilicet Persarum.

fortes eminusque terribiles, abundantes inanibus verbis insanumque loquentes et ferum, magnidici et graves ac taetri, minaces iuxta in adversis rebus et prosperis, callidi superbi crudeles, vitae necisque potestatem in servos et plebeios vindicantes obscuros: cutes vivis hominibus detrahunt particulatim vel solidas, nec ministranti apud eos famulo mensaeque adstanti hiscere vel loqui licet vel spueri: ita prostratis pellibus labra omnium vinciuntur. [...]

84. indumentis plerique eorum ita operiuntur lumine colorum fulgentibus vario ut, licet sinus lateraque dissuta relinquant flatibus agitari ventorum, inter calceos tamen et verticem nihil videatur intectum. armillis uti monilibusque aureis et gemmis, praecipue margaritis quibus abundant, adsuefacti post Lydiam victam et Croesum.

C. Plinii Secundi Historiae naturalis liber XXII

[2] Equidem et formae gratia ritusque perpetui in corporibus suis aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam adverto animo. inlinunt certe aliis aliae faciem in populis barbarorum feminae; maresque etiam apud Dacos et Sarmatas corpora sua inscribunt. simili plantagini – glastum in Gallia vocatur – Britannorum coniuges nurusque toto corpore oblatae quibusdam in sacris nudae incedunt, Aethiopum colorem imitantes. [3] iam vero infici vestes scimus admirabili fuco, atque, ut sileamus Galatiae, Africae, Lusitaniae grani coccum imperatoriis dicatum paludamentis, transalpina Gallia herbis Tyria atque conchyliis tinguit et omnes alios colores. nec quaerit in profundis murices seque obiciendo escam, dum praeripit, beluis marinis, intacta etiam ancoris scrutatur vada, ut inveniat per quod facilius matrona adultero placeat, corruptor insidietur nuptae: [4] stans et in sicco carpit, quo fruge modo. sed culpant ablui usu; alioqui fulgentius instrui poterat luxuria, certe innocentius.



Danielis Rolandri Diarius Surinamicus

Psittacus Macao, cuius in superioribus facta est mentio, ex terra Surinamica in navi nobiscum fuit. Qui quidem primis septimanis catena ferrea pedes complexa palo alligatus, postea vero, ob genium valde cicur et conversationem hominibus amicam, quam moribus mansuetis, ridiculis et comicis, voceque humana satis distincte expressit, solutus vitaeque spontaneae redditus.

Nobiscum ientaculum sumere, prandere et cenare solebat, fercula singula boni consulens, imprimis, allatus ei arrisit potus Coffaeae, cuius, quoties a nobis consumebatur, nisi particeps simul fieret, ad mensam gressum acceleravit ac voce iterata "*Caffè*" clamavit; si vero mora clamanti traheretur, signa iracundiae exhibuit, morsus pueris se allocutis rostro aperto minitans, atque, plumis retrorsum versis, bibentes maledictis adgressus. Tandem patellis (illo incassum "*Caffè*" vociferante ira que commensalibus eam ob rem declarata) e mensa remotis, parcos suos deseruit amicos, rudentes funes malosque navis scandere incipiens, atque inter scandendum "*bewaar die Pappecoy*" id est "serva Psittacum" clamitans. Scandendo plures horas consumpsit, ad cacumen mali indignatus pergens, nec absque oblato potu Coffaeae ante cenam proximam vel vesperam inde revocari potuit.

Potus Coffaeae denegatus illum ad scandendum solum adigere valuit, quo sibi, bibentes defatiganti, non porrecto, hodie scalam consuetam invidus recuperavit atque, dum sacris intersumus, turbine inruente ex cacumine mali in mare praecipitatus est, ubi, aquae difficulter innatans, brevi moriturus "*bewaar die Pappecoy*" postremum clamitavit.

C. Valerii Catulli Carmina

II

Passer, deliciae meae puellae,
quicum ludere, quem in sinu tenere,
cui primum digitum dare appetenti
et acris solet incitare morsus,
cum desiderio meo nitenti
carum nescio quid lubet iocari
et solaciolum sui doloris,
credo ut tum gravis acquiescat ardor:
tecum ludere sicut ipsa possem
et tristis animi levare curas!

III

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
et quantum est hominum venustiorum:
passer mortuus est meae puellae,
passer, deliciae meae puellae,
quem plus illa oculis suis amabat.
nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem,
nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc modo illuc
ad solam dominam usque pipiabat.
qui nunc it per iter tenebricosum
illuc, unde negant redire quemquam.
at vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
tam bellum mihi passerem abstulistis
o factum male! o miselle passer!
tua nunc opera meae puellae
flendo turgiduli rubent ocelli.

M. Valerii Martialis Epigrammaton Liber I

CIX

Issa est passere nequior Catulli,
Issa est purior osculo columbae,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior Indicis lapillis,
Issa est deliciae catella Publi. 5
Hanc tu, si queritur, loqui putabis;
sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat capitque somnos,
ut suspiria nulla sentiantur;
et desiderio coacta uentris 10
gutta pallia non fefellit ulla,
sed blando pede suscitatur toroque
deponi monet et rogat leuari.
Castae tantus inest pudor catellae,
ignorat Venerem; nec inuenimus 15
dignum tam tenera uirum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
picta Publius exprimit tabella,
in qua tam similem uidebis Issam,
ut sit tam similis sibi nec ipsa. 20
Issam denique pone cum tabella:
aut utramque putabis esse ueram,
aut utramque putabis esse pictam.



Petri Martyris de insulis nuper repertis, et de moribus incolarum earundem

Proh crudele facinus, proh truculentas hominum mentes, stomacho claudat portas quique pius ne perturbetur, pueros puellasque suis dijs immolant passim, sunt recutiti, simulacra quæ colunt, partim sunt marmorea quædam, alia fictilia: marmoreas inter imagines exstat leo pertusa cervice, in quam miserorum sanguinem proiiciunt, ut inde fluat in lacunam marmoream. Quibus cerimonijs miserorum sanguinem litent referamus, non iungulis, sed pectoribus apertis ex infausta victima cor eruunt, ex cuius calido cruore idolorum labia illiniunt, reliquum fluere patiuntur in lacunam: inde in apertum, cor & exta comburunt, gratum fumum dijs fore arbitrantur. Ex idolis unum est virile, quod inflexo capite lacunam sanguinariam super inspectat, tanquam acceptans sacrificium hostiarum. Torulos brachiorum & femorum, ac suratum pulpas edunt, præcipue si hostem bello victum sacrificaverint. Rivum concreti sanguinis, veluti ex carnificina exeuntem reppererunt. Ex insulis vicinis ad id facinoris miseros transportant, capita cadavera que ibi truncata viderunt innumera, integra etiam pleraque velaminibus contexta. Vniuersi tractus illi auro gemmisque abundant. Pererrans insulam unus e nostris in duos semisuffusos urceos alabastrinos perpulchre laboratos lapillis incidit, diversorum colorum plenos. Aiunt lapillum se reperisse, qui missus est ad gubernatorem, valoris duorum milium Castellanorum auri. [...]


Quando novos hospites suscipiunt, qui pacem in illis terris admittunt, in amicitiae foedus sibi ipsis cum novacula vel gladio lapideo sanguinis parumper ex lingua vel manu, aut lacerto, vel alia quavis corporis parte, hospite inspectante eruunt. Sacerdotes vivunt coelibes & incorrupti. Quid sit coire nemo intelligit, donec nubat. Nephas & morte piandum est aliter accidere. In foeminis mira castitas. Licet unicuique potenti, postquam unam duxerit uxorem, habere pellices quotquot voluerit: sed nupta adulterio comprehensa venditur a marito, primario tamen principi, a quo licet mulieris propinquis illam redimere. [...] Interrogatus, ubinam auri tanta colligeretur copia, proximos digito monstravit montes, et flumina ab illis decurrentia. Sunt hi fluminibus ac lacubus adeo assueti, ut idem illis sit natare, quod terra incedere. Merguntur flumine quando aurum placet colligere, manusque arenis efferunt plenas, demum de manu in manum cribrantes arenam, aurum deligunt. Spatio duarum horarum dicunt auro implere cannulam digitalem?

P. Ovidi Nasonis Metamorphoseon liber XI

quem simul agnovit ² socium comitemque sacrorum, hospitis adventu festum genialiter egit per bis quinque dies et iunctas ordine noctes, et iam stellarum sublime coegerat agmen Lucifer undecimus, Lydos cum laetus in agros rex venit et iuveni Silenum reddit alumno.	95
Huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit muneris arbitrium gaudens altore recepto. ille male usurus donis ait 'effice, quicquid corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.' adnuat optatis nocituraque munera solvit Liber et indoluit, quod non meliora petisset.	100
laetus abit gaudetque malo Berecynthius heros pollicitique fidem tangendo singula temptat vixque sibi credens, non alta fronde virentem ilice detraxit virgam: virga aurea facta est; tollit humo saxum: saxum quoque palluit auro; contigit et glaebam: contactu glaeba potenti massa fit; arentis Cereris decerpsit aristas: aurea messis erat; demptum tenet arbore pomum: Hesperidas donasse putes; si postibus altis admovit digitos, postes radiare videntur;	105
ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis, unda fluens palmis Danaen eludere posset; vix spes ipse suas animo capit aurea fingens omnia. gaudenti mensas posuere ministri exstructas dapibus nec tostae frugis egentes: tum vero, sive ille sua Cerealia dextra munera contigerat, Cerealia dona rigeabant, sive dapes avido convellere dente parabat, lammīna fulva dapes admoto dente premebat; miscuerat puris auctorem muneris undis: fusile per rictus aurum fluitare videres.	110
Attonitus novitate mali divesque miserque effugere optat opes et quae modo voverat, odit. copia nulla famem relevat; sitis arida guttur urit, et invisio meritis torquetur ab auro	115
	120
	125
	130

² Midas

ad caelumque manus et splendida bracchia tollens
 'da veniam, Lenae pater! peccavimus' inquit,
 'sed miserere, precor, speciosoque eripe damno!'
 mite deum numen: Bacchus peccasse fatentem
 restituit pactique fide data munera solvit 135
 'neve male optato maneat circumlitus auro,
 vade' ait 'ad magnis vicinum Sardibus amnem
 perque iugum ripae labentibus obvius undis
 carpe viam, donec venias ad fluminis ortus,
 spumigeroque tuum fonti, qua plurimus exit, 140
 subde caput corpusque simul, simul elue crimen.'
 rex iussae succedit aquae: vis aurea tinxit
 flumen et humano de corpore cessit in amnem;
 nunc quoque iam veteris percepto semine venae
 arva rigent auro madidis pallentia glaebis. 145



Francisci Glass De Georgii Washingtonii Vita

V. Washingtonius nil, quod milites ad hostes lacesse impetumque Anglorum fortiter sustinendum alacres paratosque redderet, praetermisit ; rationemque omnem animos patriae amore incendendi, irasque in hostes suscitandas, expertus est, iussis generalibus³ sic eos affatus : "Tempus instat, quod, liberi an servi futuri sint Americani ; utrumne quidquam, quod proprium dici possit, habituri ; an domus agrosque hostes impune invasuri et direpturi ; per brevi dijudicabit. Infinitae multitudinis nondum natae, ex hujusce exercitus virtute, fatum pendeat. Hostes immites et inexorabiles nobis praeter fortis renixus, aut servitii turpissimi, optionem, nil reliqui fecere. Vincere, igitur, aut pulchram petere per vulnera mortem, nobis hodierno die statuendum est. Officium quod nobismetipsis, quod patriae debemus, omnes vires, summamque virtutem postulat. Quod si nobis fortuna inviderit, aut nos fortitudo defecerit, stigmatum turpissimique apud homines omnes erimus. Justitia, igitur, causae, auxilioque divino freti, ad facinora magna et praeclara nosmet accingamus. Popularem omnium ob oculos nunc versamur, quorum praeconium laudesque feremus, si forte tyrannidi, ab hostibus intentatae, eos eripiamus : hortemur, igitur, cives, animosque mutuos nobis invicem addamus, et gentibus omnibus salutare documentum, virum liberum, solo natali pro libertate certantem, quovis servo conductitio aut latrone⁴ meliorem et superiorem esse, praebeamus». Congressus constantia civium animos ardore repleverat: Senatus ille audax, mensis Quintilis die quarto, anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto ab Christo nato, colonias foederatas Americanas, liberas, supremas, suisque viribus innitentes esse decrevit.—Duces Anglici Insulam Longam oppugnare constituunt: quamobrem, Augusti die vigesimo secundo, anno supra dicto, copias omnes exposuerunt :⁵ ejusdemque mensis die vigesimo septimo, prima luce, praelium, ab Hessianis, copiis Germanicis conductitiis, commissum; tandem, cum diu acriterque pugnatum, Britanni victores discessere. Americanorum tria millia eo praelio desiderata; quorum duo millia caesa, pars autem reliqua capta. Ex parte Anglica, trecenti fere interiere.

³ iussis generalibus, "in general orders." These words, although good Latin, sound rather strangely to a classic ear, in consequence of the infrequency, or, rather, total absence, of such an idea among the ancients

⁴ Latrone, "a hired soldier," or "mercenary," which is the original and proper meaning of latro; it afterwards came to imply a robber, cut-throat, &c

⁵ *de navibus* understood

Titi Livi Ab Vrbe condita liber XXI

[40] "Si eum exercitum, milites, educerem in aciem quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos; quid enim adhortari referret aut eos equites qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent, aut eas legiones cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus confessionem cedentis ac detractantis certamen pro victoria habui? Nunc quia ille exercitus, Hispaniae provinciae scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit, ego, ut consulem ducem adversus Hannibalem ac Poenos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli, novo imperatori apud novos milites pauca verba facienda sunt. Ne genus belli neue hostem ignoretis, cum iis est vobis, milites, pugnandum quos terra marique priore bello vicistis, a quibus stipendium per viginti annos exegistis, a quibus capta belli praemia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi quia audent sed quia necesse est pugnaturi sunt, nisi creditis qui exercitu incolumi pugnam detractavere, eos, duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis, qui plures [paene] perierint quam supersint, plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt sed vigentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis ulla possit. Effigies immo, umbrae hominum, fame, frigore, inluvie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque; ad hoc praeusti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata fractaque arma, claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedito pugnaturi estis; reliquias extremas hostium, non hostem habebitis. Ac nihil magis vereor quam ne, vos cum pugnaveritis, Alpes vicisse Hannibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum foederum ruptore duce ac populo deos ipsos sine ulla humana ope committere ac profligare bellum, nos, qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere.

[41] Non vereor ne quis me haec vestri adhortandi causa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo adfectum esse. Licuit in Hispaniam, provinciam meam, quo iam profectus eram, cum exercitu ire meo, ubi et fratrem consilii participem ac periculi socium haberem et Hasdrubalem potius quam Hannibalem hostem et minorem haud dubie molem belli; tamen, cum praeterveherer navibus Galliae oram, ad famam huius hostis in terram egressus, praemisso equitatu ad Rhodanum movi castra. Equestri proelio, qua parte copiarum conserendi manum fortuna data est, hostem fudi; peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia adsequi terra non poteram, neque regressus ad naves erat quanta maxime potui celeritate tanto maris terrarumque circuitu, in radicibus prope Alpium huic timendo hosti obviui. Utrum, cum declinarem certamen, improvidus incidisse videor an occurrere in vestigiis eius, lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri iuvat utrum alios repente Carthaginienses per viginti annos terra ediderit an iidem sint qui ad Aegates pugnaverunt insulas et quos ab Eryce duodeuicenis denariis aestimatos emisistis, et utrum Hannibal hic sit aemulus itinerum Herculis, ut ipse fert, an vectigalis stipendiariusque et servus populi Romani a patre relictus. Quem nisi Saguntinum scelus agitare, respiceret profecto, si non patriam victam, domum certe patremque et foedera

Hamilcaris scripta manu, qui iussus ab consule nostro praesidium deduxit ab Eryce, qui graves impositas victis Carthaginiensibus leges fremens maerensque accepit, qui decedens Sicilia stipendium populo Romano dare pactus est. Itaque vos ego, milites, non eo solum animo quo adversus alios hostes soletis, pugnare velim, sed cum indignatione quadam atque ira, velut si servos videatis vestros arma repente contra vos ferentes. Licuit ad Erycem clausos ultimo supplicio humanorum, fame interficere; licuit victricem classem in Africam traicere atque intra paucos dies sine ullo certamine Carthaginem delere; veniam dedimus precantibus, emisimus ex obsidione, pacem cum victis fecimus, tutelae deinde nostrae duximus, cum Africo bello urgerentur. Pro his impertitis furiosum iuvenem sequentes oppugnatum patriam nostram veniunt. Atque utinam pro decore tantum hoc vobis et non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliae ac Sardiniae, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia vobis est pugnandum. Nec est alius ab tergo exercitus qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat, nec Alpes aliae sunt, quas dum superant, comparari nova possint praesidia. hic est obstandum, milites, velut si ante Romana moenia pugnemus. Unusquisque se non corpus suum sed coniugem ac liberos parvos armis protegere putet; nec domesticas solum agitet curas sed identidem hoc animo reputet nostras nunc intueri manus senatum populumque Romanum: qualis nostra vis virtusque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore."